Fragmentarium

Ista nec apud homines secularis sine periculo vel of
fensione procurant. quia et quanto quisque amplius
habere ceperit tanto amplius habere concupiscit.
Fit quoque ut modum in concupiscendo non habeat. dum
innumeris huius seculi curis deservire festinat.
Ut enim ait scriptura avarus pecuniis non imple
bitur. Que nimirum quam sit detestanda paulus
indicat dicens. Et avaricia que est idolorum ser
vitus. Quam sit noxia. idem exponens ait. Qui
volunt divites fieri incidunt in laqueum et
desideria multa et nociva que mergunt homi
nes in interitum et perdicionem. Quam sit detestanda
quidam sapiens denuntiat dicens. Avaro nichil
est scelestius. Quam sit noxia iacobus aperte dicens.
Agite nunc divites plorantes et ululantes in mi
seriis que advenient vobis. Divicie vestre putride
facte sunt. vestimenta vestra a tineis comesta sunt.
aurum et argentum vestrum eruginabit. et erugo eorum
in testimonium vobis erit. et manducabit carnes
vestras. sicut ignis. Sed nec redemptor noster preterire vo
luit cupiditatis malum quam noxium esset ait enim.
Difficile qui pecunias habent regnum celorum intra
bunt. Et rursum. Facilius est camelum per foramen
acus transire: quam divitem regnum celorum intrare:
Si igitur secularibus viris ita est periculosa cupiditatis
industria. quanto magis illis periculosior qui
habitu et conversatione iam seculares esse desierunt.
qui totum quod vivunt domino deo devoverunt. ad quos

psalt

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.8, 8v – Ambrosius Autpertus: De conflictu vitiorum et virtutum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-knks/5137/49140)